

CVTHEBERTI TONSTALLI IN LI-
BRVM DE ARTE SVPPV-
TANDI PRAE-
FATIO.



ARTEM supputandi studioſis editurus in primis illud præſandum opere præciū eſſe putavi, Pythagoram et ueteres philoſophos pleroſq; omnes uim quãdam diuinam numeris tribuiſſe: id quod non abs re feciſſe exiſtimantur. Nam cū mathematicæ diſciplinæ quattuor exiſtāt, Arithmetica, quæ numerandi artem atq; uniuerſam numerorum uim explicat, Muſica, quæ ſonorum concentus atq; harmoniã diſcernit, Geometria, quæ terræ et aliarum rerū metiri magnitudinem inſtituit, Astrologia, quæ cæli atq; aſtorum motus certa nature lege inuariabiles docet, harum ad notitiã peruenire cupienti primū Arithmetica, quæ cæteris aditum pandit, deguſtare neceſſe eſt, ſine qua nunq̄ ad illas penetrare licebit. Hæc namq; ab illis nihil ſumit mutuum, ſuisq; contenta dotibus nihil alienum requirit, illæ contra ab hac præſidia sæpe petunt. Itaq; cum dei natura ſit eſſentia ſubſtantiãq; ſimplex, quæ omnia intra ſe complexa nihil extra ſe quærit, ab omni concretionẽ corporea terrenaq; ſemota, illam etiam diſciplinam, quæ de incorporeis tractans nihil aliunde petit, par eſt arbitrari diuinam. Hæc ueteres ipſi totã philoſophandi rationem putauerunt eſſe concluſam. Nec tamen propterea q̄ hæc omnium prima tentãda eſt, intellektu quoq; facillima de-

prehendetur,

prehendetur, cum in illis multa effingi poſſint, quæ nos per ſenſus corporis ueluti per manus in cognitionem ducant. quippe in Muſica ſonorum in muſicis inſtrumentis concentus auribus applaudit, et ſe dat cognoscendum. In Geometria lineas, circulos, quadratas triquetrasq; figuras, et pyramides oculis ſubiſcimus. Similiter in Astrologia cælum, ſphæras, axes, zodiacos, ſigna duodecim, aſtra etiam ipſa nobis fingimus, atq; hæc quidem omnia uel lignea, uel ærea, uel ſi magis libet, depicta. quæ ſane formæ cum omnis noſtra cognitio a ſenſu oriatur, plurimum ad earum rerum cognitionem, quarum ſunt ſimulachra, rudes animos iuuabunt. At in Arithmetica ſicubi hærebis, quas, quæſo, numerorum ideas excogitabis, ut tete explices? Numeros nihil corporeum exprimit: nihil oculorum, nihil aurium ſenſus ad numerorum nodos ſoluendos iuuat: nulla numerorum ſimulachra, niſi numeri: tantum acri ingenio, firma memoria, et mente in ſe collecta comprehenduntur. Atq; ideo moriones, qui ſæpe natura duce modulatos imitantur cantus, et omnigenas rerum formas in cõſpectum delatas agnoſcunt, multaq; ex ſenſu communi tam apte in ſermone loquuntur, ut prudentes uideri poſſint, ſi quid de numeris paulo tortuoſius quæras: continuo deprehenduntur rationis egentes: ſine qua nihil in numeris explicari poteſt. Quocirca cum uita noſtra tota in terrenis uerſetur: ad quorum adſequendam notitiã ſenſus corporis nõ parum iuuant: cognitionem uero cæleſtium quæ ſola ratione ſectanda ſunt, maxime petamus: cum mathematicæ diſciplinæ medium inter uerſaq; gradum teneant: ad cæleſtium cognitionem nulla re melius